

Bibliothèque numérique

medic@

**Perrin, Jean - candidat / Renou, Jean
de - président. - An cor princeps
unicum ?**

1598.

[Paris]

Cote : ms 73 n°278

278

QVÆSTIO MEDICA,
QVODLIBETARIIS DISPVATIONIBVS
AGITANDA, IN SCHOLIS MEDICORVM. DIE
IOVIS XII. NOVEMBRIS, M. IOANNE DERENOV, DOCTORE
MEDICO, DISCEPTATORE SAPIENTISSIMO.

AN COR PRINCEPS VNICVM?

Non pariter rerum creaturarum collimitio, ad illas aspeçtabilis vniuersi efformata eleganti proportionē respondent singula: nec aliter huius, quam illius principatum vnicum qui suo complexu vim omnem, præstantiam, ac dignitatem suam totius contineret, quasi sol motu infatigabili, calore viuifico, partes reliquas exhilararet esse oportuit. In quo quædam à quibus naturalis, vitalis, & animalis trigeminum facultatum familia luxurians corporis gubernaculum totius teneretur, in qua tantus consensus & consonantia, ut quamuis vnus actio leuiter affici possit cæteris integris, non tamen omnino aboleri, quin cæteras in societatem cladis accersit.

Vt enim sole in eclyptica horizontali existente ad nos nullus splendor luminis vehiculo deportatur, verum donec excesserit vitæ beneficio viduata inhorrescunt sublunaria, sic per syncopen spiritu, & calore vitali exulante, ac motu tabescente, præceps facultatum cunctarum lapsus irepit, quo partes omnes ab assueto munere feriuntur. Vitalis & arteriarum motus quos communis causa efficit, desolatum mortis simulacrum lugubri pausa exhibent, donec iisdem pristinam fecunditatem redditura fœspitalis quædam Flaminia, cui sub proprio vitæ discrimine larium, & foci commissa custodia à graui sopore resiliuerit.

Natiui caloris susceptaculum est cor, vaporosam per arteriarum numerosas propagines, in animantis particulas se se ramificantium substantiam prouoluens. Ex quo quasi mellis sui totis typis ac officina venæ exordium nactæ, non secus quam de cysterna vel promptuario cuiusque partis substantiam necesse deferunt. Cuius partim in hepar quasi amnem ex salo deriuatum, dein paribus dispensandum dilabescit. Nervorum quoque, à quibus ex eo germinans tenuibus cauliculis ad vsque cerebrum pullulat, ubi grauioribus turionibus animalis virtutis se se amplificantis ratione instrumentorum, quæ in cordis angustia assequi nequiebat, grandiori inquam, nervorum cohorte sobolescit.

Et AMETSI in vetri plauistro, cum seminis mixti vtriusque parentis crassamento, naturæ solertia totius opificij humani priores radij non simul, sed successiuo quodam ordine collustrentur & veluti themina ordiantur, quoniam tamen cor non prius à primâ cōformatione mancipatius naturæ filius prodit, cæteris vitam prius acceptam impertitur, omnibus armamentis ad id competentibus instructum esse oportuit. Immo ad hoc pensum ineffracto robore exequendum, densam & musculo similem obtinere debuit substantiam, ut spirituum tenuitate fugax mobilitas & mobilis fugacitas eius forti vallamento prohiberetur.

REGIAM animæ rationalis opifici sapientissimo, in corde corporis meditullio omnibus instructæ suis facultatibus, ab ea non discisis, immò ne re ipsa geminatis, fixisse placuit, ut ex eo corporis medio in extremum quaque uersum facilius viuifici caloris, vaporosique spiritus munificam largitionem, & copiam faceret. Cuius tandem languescente vigore, & exhausta radicalis humiditatis efficacia, quæ in dies minuitur fatis, necessitas subuolat, dum eidem postremò vitale crepusculum aduersus peractit, cui roscidulæ auroræ diluculum illuxerat.

Cor igitur princeps vnicum.

ASSEREBAT IOANNES PERRINVS TVLLENSIS LOTARINGIACVS. 1598.

Domini Doctores Disputaturi.

*M. Ioannes Duretus professor Regius.
M. Georgius Cornuti.
M. Ioannes le Moyne.*

*M. Stephanus Dufour Medicus Regius.
M. Claudius Boyuin.
M. Philippus Ardouin.*

*M. Hugo Prauosteau.
M. Nicolaus Ellain decanus.
M. Guillelmus de Baillou.*